



TRACTATUS DE NIHILO

CAP. I.

De Etymologia vocis Nihili.

V Tractatio circa Nihilum non sit de nihilo, ordineque procedat, ante omnia incunabula ejusdem, Etymologia speciatim, expendi debet. quam proponere non licet, nisi de vocis scriptura antea constiterit. Barbaro seculo pronunciari solet nichilum: unde in lepidissimis obscurorum virorum Epistolis Monachi Erasmo inclementer dicunt, quod contenderet pronunciandum esse nihilum. Vetus Glossarium ante trecentos præter propter annos per Monachos digestum, cujus possessor fuit ὁ πᾶν D. Boxhornius sic legit: *Nichilo, nugatorius*. Quæ desumpta esse ex Glossario longe vetustiori, edito ab Henrico Stephano, infra patebit. atque sic constanter habent primæ Editiones, & forte